

APOTHECA CHYMICA

Pauperum

Authore Bonifacio

Von Helffen:gutt



De

15

Errata hujus libelli NB.

In pagina 2da linea 8. vā loco incurabilius legatur incurabilibus, in sequenti linea loco us legatur ut. in pag. 3tia linea 4ta loco uovisse legatur novisse. in pag. 5ta linea 14. loco collationes legatur colationes, in eadem pag. linea 18. loco acetitalis legatur acetitalis &c. in pag. 8va linea 17. loco pestechiarum legatur petechiarum. in eadem pag. linea 31. loco recto legatur tecta. in pag. 9. na linea 19. na loco atiam legatur etiam. in eadem pag. linea 27. loco scroci legatur scrobi. in pag. 10. ma linea 17. loco oppletionum legatur oppletionem. in pag. 12. ma linea 25. post granorum, legatur hoc, quod est omisum pro in ætate consistente constituto ad 25. granorum. in pag. 13. tia linea 26. loco invenitur legatur invenitur. in pag. 14. linea 24. loco pleuritidinem legatur pleuritidem, in eadem pag. linea 28. loco lis legatur iis.

De

De facili & securo Antimonij usu contra varios Morbos.

§. I.

*Antimonium vindicatur à calumnijs imperitorum, qui illud tanquam
Venenum fugiendum suadent.*

Antimonium est corpus minerale;
optimum in Vngaria effoditur in usum Medicinæ. multi re-
rum naturalium imperiti Antimonium pro veneno habent,
eò quòd Vomitus ciat, & largiùs in usu adhibitum, gravia
alia Symptomata causet: verùm hac ratione etiam Vinum
pro veneno habendum foret; nam & illud liberalitèrs potatum eadem, imò
graviora Symptomata, quin & mortem ipsam inducere solet. *Sed est modus
in rebus.* Quare rei medicæ peritiores Antimonium tanquam singularem &
utilem Medicinam divinitus hominibus concessam ab omni veneno vendi-
cant. Vnde medendi Scientia expertissimus ac Medicus Cæsareus Petrus An-
dreas Matthiolus *Lib. 5. Comment. in Diosc. 6. 39.* postquam admiran-
dos effectus, & experimenta saluberrima per Antimonium facta recensuisset,
exclamat: quo fit, ut non possim non mirari nonnullorum Medicorum in-
genium, qui stibium (id est Antimonium) venenum mortiferum esse con-
tendunt. Idem testatur Paracelsus, Crollius Iosephus Quercetanus, And. Li-
bavius, M. Rulandus, Ioan. Hartmannus, Ioan. Agricola, Ioan. Daniel My-
lius, Bapt. Condronchius, Physicus Imolensis, Trac. Sing. de Antim. qui &
innumeros Hispaniæ & Italiæ præcipuòsque Medicos recenset, qui saluberrimè
Antimonio usi fuerunt. Ipse certè Daniel Sennertus *Med. Lib. 6. p. 6. c. 7.*
testatur, paucos eorum qui ex professo de venenis scripserunt, venenis adnu-
merare Antimonium. Vnde Medici qui illud sub specie veneni reddere con-
stantur odiosum, faciunt id illi vel ex ignorantia, vel ne lucro solito ipsi de-
stuantur. Solet hoc Medicorum genus magis de crumena à rugis liberanda,
quàm de vita hominum conservanda sollicitum, contra Antimonium adducere
testimonium imprimis Ioannis Cratonis Medici, quod is noverit Hydropi-
cum.

C

CUM

eum, qui cum Antimonio usus fuisset, mortuus est. *Risum teneatis Amici.*
 Sumpsit Hydropic9 Antimonium, ac deinde mortuus est: ergo ex Antimonio
 mortuus: ergo Antimonium est fugiendum tanquam venenum. Si illa con-
 sequentia bona est, ergo & hæc; Ioan: Crato Medicus bibit vinum, & postea
 mortuus est: ergo ex vino mortuus est: ergo vinum est fugiendum tanquam
 venenum. Credo quòd pauci Dñi Medici subscribent huic argumentationi,
 Dicant ipsi Galenici, quando semel unum aliquem verum Hydropicum sa-
 nârunt: & tamen quotidie illis quantumvis incurabilius, propinant medicinas
 non profuturas: ne ipsos, inquit, solatio destituant; sed verius us &c. So-
 lent & alia subinde adducere exempla, & testimonia quorundam, qui certis
 in morbis usi sunt Antimonio, ac deinde migrârunt ad plures: tanquam omnes
 ij, qui alijs medicinis utuntur, ut puta Galenicis, perpetuò vivant: cum tamen
 pauci domi moriantur, maximè ex opulentioribus, qui eas non priùs, quàm
 emigrent, degustare soleant. Dicemusne ergo omnes illos mortuos ex medi-
 cinis illis Galenicis? Videtur quidem sequi à pari ex testimonijs adductis
 contra Antimonium: aut potius à minori ad majus. Certè Basilius Valen-
 tinus ex Ord. S. Benedicti, scientiæ Chymicæ peritissimus, qui ante annos du-
 centos vixit Erphordiæ in Germania, in libro quem inscribit Currum trium-
 phalem Antimonij, aserit mediam drachmam Antimonij crudi nullo modo
 præparati datam porco, mirum in modum eum impinguare: tantum abest
 ut venenum illi existat. Quod si Myosotibij Galenici tantundem ex suis phar-
 macis nõ ante correctis porco offerrent, næ illi non tantum illũ nõ pinguiorem
 redderent, verum etiam quantocyùs dubio procul interimerent. Quod atro-
 cius est veneni genus quàm Sandaraca, quàm Arsenicum: & tamen illam Dios-
 corides cum melle, aut in pilulis Asthmatico suadet; Arsenicum truculentis-
 simum toxicum ipse Avicenna propinat. Quid dicam de Elleboro utroque,
 Tithymalorum omnigenere, Pithyusa, Elatherio, Colothynthide Thapsia,
 Scammonio, Thymelæa, alijsq; pluribus, quæ Galenici quotidie etiam (cor-
 recta quidem) Principibus propinant: quæ si incorrecta porcis offerrentur,
 aut canibus, fieri non posset, quin eis internecioni existerent. Antimonium
 verò crudum nullatenus correctum non modò sine periculo, verum & salu-
 briter non porcis tantum & canibus, verum & hominibus propinari potest,
 testibus Potero in Pharm: Keslero redivivo process: 201. Ioan: Schrödero
 Pharm:

Pharm: aliisq; probatissimis Medicis juxta ac Chymicis: Quotò minus ergo Antimonium correctum (quale est vitrum, Crocus Metallorum, aliáque à Chymico-Medicis ex eo parari solita) est formidandum, quàm quodvis aliud medicamentum? Dicam ergo potius alseveranter, & evidentiore scientiâ, quàm Ioannes Crato, novisse me non unum tantùm, non sexcentos tantùm, sed innumeros plane utriusq; sexûs, qui Antimonio non semel tantùm, sed sæpe sæpiùs usi fuerunt, & tamen diutissimè supervixerunt à gravissimis etiam morbis per illud liberati: imò inter cæteros unum aliquem, qui nonagesimum ætatis annum summâ virium constantiâ superavit: cui tamen Antimonij usus à juventute usq; ad grandævam illam ætatem fuit familiarissimus. Non ergo qui Antimonium intrò sumpserunt mortui sunt ex eo, sed potius salutem & vitæ diuturnitatem ex eo sunt consecuti. Iosephus Quercetanus in Tetrad. cap. 31. ait: In Antimonio sunt sexcentæ proprietates variæ ac præstantes, ut præparantes, expurgantes, vomitiones concitantes, & id genus aliæ, ut nunquam satis laudari queat hoc medicamentum. Et verò sicut Deus omnibus brutis animantibus media quædam concessit, quibus contra morbos ingruentes adjuvari possint, à quibus etiam homines aliqua didicerunt; ita noluit idem benignus Deus humanum genus quod præ cæteris creatis dilexit, destitutum medio aliquo efficaci, ac veluti Panacæâ contra omnes morbos, & quidem simplici, facile parabili, exiguisque pretij in pauperum præcipuè gratiam & subsidium, quorum singularem semper Deus curam gerit.

§. II.

Vulgares, faciles ac tute, Antimonij purgantis præparationes.

Innumera ex Antimonio præparantur Medicinæ, & alia Magisteria, à Chymicis: ita ut etiamli mille annis perpetuò labores, semper invenias novi aliquid elaborandum. Vide Basil: Valent: in Curru triumphali Antimonij & passim Chymiatros: pauca hic tantùm proponuntur in gratiam illorum, qui procul à Medicis & Pharmacopolis remoti, copiam illorum medicamentorum non habent.

1. Præparatur ex eo vitrum, quod passim venale invenitur, coloris sub-

subri

rubri, aut hyacinthini: Cujus usus est talis. Ponitur ad vitrum aliquod mundum quantacunque ipsius pars, atq; affunditur vinum album (antiquum est melius) quantumcunque, v. g. supra mediam vnciam, vel supra unum, vel duo trusta instar unius grossi: potest etiam affundi media mensura vini, vel etiam tantum unum vitrum mensale (vix hic erratur) vinum deinde affusum permittitur stare supra Antimonium ad minimum per 12. horas: quamvis etiam supra stare possit integris aliquot mensibus, aut etiam integro anno & annis. Cum enim quicquid recipitur, recipiatur per modum recipientis, vinum in se plus recipere nequit, quam ipsum sit capax: itaq; cum fuerit vinum sufficienter imbutum, & saturatum virtute Antimoniali, nihil amplius recipere potest.

Hujus vini Antimoniati per telam densam colati potest securissimè dari uni puero à 10. usq; ad 15. annos, medium cochlear commune mensale. Iuveni proveciori ab annis 15. ad annos 20. cochlear unum plus minus prout vires ferunt: adultiori ab annis 20. usque ad 40. duo cochlearia, plus minusve, prout ipsa Complexio viresq; ferunt. Fœminis prægnantibus dandum non est: uti & ijs de quibus suspicio est, ne sint prægnantes; quia talibus infert periculum vitæ, aliàs utrique sexui convenit.

Simplex sed optima est etiam hæc Antimonij præparatio. Recipe Antimonij crudi quantum placet, v. g. quartam partem unius libræ (in Vngariâ venditur una libra uno grosso, sæpè etiam viliori pretio) adde tantundem Salisnitri: Trita sigillatim singula, misce: deinde in ollulam novam testaceam, vel etiam mortarium æneum (non ferreum) ad carbones non nihil ignitum injice, de hac mixtura parùm cochleari, vel cultro exceptum, statimq; flamma concepta erumpet sine ullo nocumento aut periculo: quod vocant Chymici, *detonare*. Deinde consequenter perge per vices eodem modo injiciendo paucillum, donec totum detonuerit; inveniesq; in fundo ollulæ, vel mortarij materiam concretam partim subflavam, aut hepatici coloris, partim albam. Alba materia, est pars Salis nitri; residua subflava, est ipsum Antimonium depuratum: quod à colore subflavo vocant erocum metallorum: & à colore hepatico, Hepar Antimonij. Ad separandum hoc Antimonium à Salisnitro, contere omnia simul in pulverem, deinde affunde aquam calidam, & Salnitrum solvetur in aquam: quam, ad fundum subsidente An-

Antimo-

Antimonio sua gravitate, paulatim effunde: aliamque aquam calidam similiter aliquoties affunde, & effunde donec linguam non nihil admota gustu deprehendas, aquam non esse amplius falsam. Post hæc pulverem subflavum Antimonij exsicca, & serva ad usum. Hic pulvis Crocus Metallorum purgativus dicitur habet eandem vim, quam vitrum Antimonij, sed mitiorem: & praxis utendi est eadem: affuso scilicet vino supra quantamcumque ejus partem, cujus & dosis eadem est. Notandum porrò unum idemque vitrum Antimonij, uti & Crocum Metallorum perpetuo in eundem usum venire posse: est enim virtus ejus inexhausta, nihilque ex ea decedit, quotiescumque in usum vocetur. Quin si adverteretur, eorum virtutem crebriore usu non nihil labefactatam, ignantur & candescant de novo in ollula, virtutemque pristinam toties quoties recuperabunt. Ex quo fanè veluti Divinum aliquid Antimonio inesse videtur in pauperum solatium. Aliquid subinde quidem de substantia ejus perditur per crebras infusiones, per collationes, (unde cautè de his procedendum) in eo tamen, quod accuratè asservatum remanet, nihil virtutis perditur. Quodsi medicinam ex Antimonio leniorem desideras & suaviorum, loco vini adhibe pro maceratione acetum fortissimum, vel etiam in aceticæ quantitate pro libitu acceptam quantum vis vitri Antimonij integri, vel triti, vel Croci Metallorum: deinde per telam densam cola, aceto Antimoniato adde medietatem sacchari, vel mellis: ita ut si fuerit unus sextarius, vel una libra aceti, addatur medius sextarius mellis, vel media libra sacchari communis: deinde simul coquantur lento igne, donec spissitudo ac forma syrupi appareat: quod dignosces si parum ex hac coctura instilles supra orbem, aut scutellam stanneam frigidam; si videris consistere, & non diffluere, signum est satis esse coctum: aliàs diutius coquendum. Dosis est cochlear medium, aut unum vel duo triæve: prout vires ferent. Est gratifaporis, subacidi: valet etiam pro abstemijs: suaviter purgat.

§. III.

Morbi præcipui in quibus salubriter exhibetur Medicina Antimonialis purgans.

1. **IN pulmonis inflammatione:** (per
rip-

ripneumonia appellatur,) item in Cordis atq; ventriculi seu stomachi inflamma-
-tione. unde sitis explebilis, palati fauciumq; adustio exoritur, exhiberi solet.

II. In Cordis palpitatione.

III. In distillatione à capite ad fauces, ferme suffocante.

IV. In appetitûs dejectione : in stomachi languore & imbecillitate ex
humorum repletione.

V. In omnibus morbis à bile pendentibus.

VI. In humoribus Melancholicis, etiamsi hi ita exudent, ut vel ad in-
-saniam redigant ægrum : uti in passione Hypochondriaca.

VII. In qualibet spirandi difficultate : & præcipuè in Asthmate; exhibi-
-beri autem non semel, sed per vices sæpius debet.

VIII. In colicis cruciatibus est Antimonium præsentaneum remediûm
-celerrimè ægrum liberans, ita ut vix Symbolum Apostolorum recites. Sa-
-luberrimè etiam hîc adduntur ulitatis Clysterijs duo aut tria cochlearia vini
-Antimoniati, vel Syrupi Antimoniati.

IX. Palati gutturis fauciumq; tumoribus sælicissimè medetur, à quibus
-angina oritur : & si quis Antimonium opportunè assumat, ab angina, quæ
-celeberrimè enecare solet, liberabitur.

X. Exhibetur quoq; in præcordiorum inflammatione.

XI. In membrorum contractione.

XII. In membrorum resolutione. quæ species paralysis est.

XIII. In Hydrope, sed pluribus interpositis vicibus, non quotidie. In
-Hydrope plerumq; tantum per inferiora operatur.

XIV. Lethargum opportunè exhibitum, curat, & species ejus.

XV. Bis in Ictericis, seu morbo Regio exhibitum, si primò parum opo-
-ratum fuisset, sanat ægrum.

XVI. Epilepsiæ maximopere confert : sedem enim affectus ac radicem
-perquirens, eam evellit : ut paroxysmi non adeò frequentes evadant : Tan-
-demq; malum radicitus planè extirpat.

XVII. In antiquis doloribus, reliquisq; hominem extra ordinem occu-
-pantibus conducit.

XVIII. Vnumquodq; Profluvium unicâ vice curat Antimonium jejunè
-ati par est, assumptum; primò enim æger rejicit, deijcit deinde bis tæpe
-æger.

enēq; non à Profluvio tantū, sed à Febri, Capitis ventriculūq; Dolore liberatur.

XIX. Hemicraniam vertiginēq; quacūq; unicā vice sumptum curat, & omni dolori Capitis medetur.

XX. Lumbricos omnis generis è ventre exturbat Antimonium.

XXI. Contra Podagram haud facile præsentius, & efficacius est remedium, quàm Antimonium quater in anno, vel ad minimum bis usurpatum. Si enim malum non penitus tollit, saltem insultus ejus facit rariores & mitiores.

Inter cæteras dotes Antimonium præter alia Medicamenta hoc præstat, quod viscidos crassosq; humores attenuat, & abstergit, qui in ventriculo stabulantur, eosq; purgat, auferens omnem saburram ventriculi, multorum morborum seminarium. Vnde post peractam ex Antimonio purgationem solet haud segniter urgere Appetitus ad comedendum. Flatus etiam crassos quacūq; corporis parte detentos extenuat, resolvit, discutit.

Neque ante usum Antimonij opus est ullā præparatione humorum, quemadmodum ante aliorum medicamentorum purgantium exhibitionem fieri consuevit: nam Antimonium & purgantis, & præparantis medicamenti munere fungitur.

Exhibetur, ut plurimum, manè jejuno stomacho; vespertiq; præcedentis diei cena sit admodum parca. Lactuca verò, & quæ concoctionem interturbare possunt, ut sunt fructus, vini, aut alterius potūs copia evitanda.

Post assumptum Antimonium 5. horis modicum vinū superbibatur. Potest etiam mediâ horâ post sumptum Antimonium superbibi haustus Cerevisiæ calida, vel vini calidi, vel jusculi carnis, vel pisorum: tum quidem ejus operatio evadit mitior, sed minus efficax.

Tertianâ simplici laborantes Antimonium semel assumptum curat. Item & quotidianâ.

At verò duplici tertianâ laborantibus bis assumendum, post febris declinationem. Quod si prima vice bene est operatum, duo dies interponantur, & immunis omnino à febre erit æger. In febribus continuis, quæ ab humoribus putridioribus pluribūsq; sanguini permixtis exoriantur, bis quoq; exhibendum, prout in tertiana duplici.

In quartana febre, quæ à frigidis pendent humoribus, ter quaterve assumendum erit Antimonium: quamvis interdum fieri possit, ut simplex quartana ab Antimonio semel assumpto optimè profligeretur.

In

In Peste nullum est præsentius. & efficacius medicamentum Antimoniosum. & supra citatus Andreas Matthiolus loco citato meminit plurimorum, qui à Pestilentia curati ope Antimonij: & inter alios meminit insignis Medici, qui cum peste correptus, & inter alia gravissima Symptomata sinistra inguinis apostemate pestilente cruciaretur, tandem unicum salutis subsidium in Antimonio invenit. Refert idem Matthiolus, & alios præclarissimos Medicos, qui extremè afflictam desperatamq; sanitatem per Antimonium recuperârunt. Per Antimonium certè tota pestilentis veneni cloaca expedite evacuatur, unde si quid restat veneni, id tantò faciliùs deinde, vel à naturæ facultate, vel Alexipharmacorum, & Sudoriferorum adminiculo expellitur. Pæstis curam præcipuè in vomitu consistere docet & ipsa experientia, & ipsa proritatio symptomatica ad vomitum, quæ statim sub initium pestilentis invasionis accidere solet. Porrò rectè monet Hipocrates primo Aphor: 28. *Qua ducere oportet, quo maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere convenit.* Sic pleraque venena per os introsumpta ad vomitum proritari solent, unde & vomitu faciliè profligantur. Quod verò de Pæstis cura per Antimonium dictum est, idem intellige de cura Pæstehiarum, & cujusvis febris malignæ ac pestilentis.

Sunt nonnulli Medici, qui tantoperè abhorrent à vomitorijs, ut quantumcunq; conducatur vomitus ad malum, quo infirmi ipsorum laborant, radicitus evellendum, nullatenùs tamen induci possint, ut eum vel procurent, vel permittant: eò quòd persuasum habeant, vomitum oculis, & capiti molestum esse; atq; ita causa sunt, ut interveniente intra paucos dies morte, infirmum perpetuò leviusculo, & medico oculorum capitùsq; dolore securum quidem reddant, sed pretiosissimæ vitæ dispendio. Ita scilicet qui nescio quibus suavibus eclegmaticis, pulvisculis exoticarum radicalium, herbarum, seminum, &c. et dulciarijs, ac qualitatibus tantùm contrarijs contrarias alterando quovis etiam gravissimos periculosissimosq; morbos propulsare conantur, (quod Medicorum multi faciunt) tantum præstant, quantum is, qui ut succurrat domui à flammis correptæ, omnem operam in hoc collocat, ut fumum solummodò propellat, permisso interim Vulcano intra tectò dominari & furere.

§. IV.

Modus servandus in usu Antimonij.

Verùm

Verùm ad Antimonij usum redeamus.

Est ipsum Antimonium contra Pestem & omnes Morbos pestilentiales multò efficacius Antidotum, quam vel unicornu, vel lapis Bezoar, vel quæcunq; Theriaca, aut alia Medicina, ut multiplici experientia constat: quare & his omnibus illud in cura præmittendum: deinde verò peractâ operatione Antimonij insistendum sudoriferis medicamentis. Sectio venæ in his morbis Antimonio adhibito penitùs non est necessaria: imò potiùs noxia est.

Post sumptum Antimonium non est dormiendum per horas 8. curandû ut ad minimum per mediam horam in stomacho servetur antequam vomatur. posteaquam per vomitum operari cœpit, sæpiuscule impositis in os digitis, vel calamo vomitus provocandus & tentandus, per spatium circiter trium aut quinq; horarum. Quando vomitur, oportet se ponere ad humilem sedem, & crura conjuncta strictim tenere, ne ruptura acquiratur.

Eodem modo qui in lecto decumbens vomit, oportet; ut crura conjuncta & contracta teneat. Quod si aliquem vomitus nimis urgeat, aut etiam purgatio per alvum, sumat jusculum qualecunque pingve, & statim melius erit; jtem dormiat bene, vel sumat parum Theriacæ, vel sumat aliquot guttas spiritus Vitrioli, aut spiritus Sulphuris in jusculi cochleari: v.g. ʒ. vel ʒ. vel 7. guttas spiritûs. Stomacho etiam crusta panis tosta, aspersaq; aceto imponi potest, addito pulvere Cinamomi. Item etiam panis cum aceto absq; Cinamomo apponi potest plantipedum. Si dolor capitis accidat, apponatur capiti & fronti linteum madefactum aquâ rosacæ mixtâ aceto, & oleo Rosarum.

Qui non diu possunt servare medicinam in stomacho, quin statim evomant etiam ante mediam horam, hi immediatè post sumptam medicinam, apponant gutturi externo strophium benè madefactum aquâ communi, vel aceto, & tepeat per mediam circiter horam; maximè imponendû hoc strophium scrogi illi, quæ in fine est gutturis versus pectus.

Non detur Antimonium ijs facilè qui difficiles sunt ad vomendum: jtem nec Phthisicis iam multum consumptis: initio tamen Phthisis, maximè quæ oritur à distillationibus acerbis à capite in pectus, saluberrimè dari potest, ut testatur Ioannes Hartman in Pract: Chymiatr: Hæticis verò ab Antimonio, & quavis medicina purgante efficaciore abstinendum penitùs: nisi

D.

Anti.

Animam expurgare velint

Medicina Antimonialis hæcenus descripta illud habet singulare, quod est in parte corporis maximè operetur, ubi hostis morbificus imprimis later: adeò ut non tantùm aliquid plus ei quàm omnibus alijs medicinis divinitus concessum esse diceres, verùm etiam scè supra insensibilium sortem ampliùs aliquid. Vnde quibus malum in ventriculo aut stomacho præcipuè hæret, in ijs maximè vomitum, imò plerùmq; solum vomitum concitat: in quibus verò venter inferior imprimis laborat, in ijs per inferiora maximè, & sæpè tantùm hac movet; in quibus & stomachus, & venter inferior affligitur, in his vtrobiq; operationem suam exercet; in quibus autem exteriores partes corporis malè affectæ sunt, in ijs movet aut sudorem tantum, per eumq; hostem morbificum in membris latentem exturbat, aut stomachum simul ad vomendum, aut ventrem ad deiciendum incitat, prout hæc vel illa pars plus minùsve malum in se perentiscit. Hæc eo dicta sunt, ut si quicumque putabant subinde ex Antimonio operationem non experiantur, confestim sibi persuadent, se desiderato effectu fore destitutos. Possunt & aliquot guttæ ejusdem vini Antimonialis attrahi per nates contra oppletionem capitis, & humorù in eo redundantiam. Andr; Labau; Syntag; arcan; Chym; lib. 1. cap. 10.

§. V.

Antimonij usus externus contra oculorum affectiones.

EX vitro Antimonij, aut Croco Metal-
lorum supra descriptis fit aqua ocularis admirandæ virtutis. Recipe vitri Antimonij triti in pulverem, vel Croci Metallorum, quantum placet, coque per quadrantem horæ, aut amplius: in aqua Rosarum, vel Fœniculi, aut utraq; mixta ad partes æquales quantitatis lubitæ; deinde cola per mundam telam, adde paucillum Croci Pannonici, ut saltem aqua colorem subflavum acquirat. Hæc aqua valet contra omnes affectiones malas oculorum. Usus ejus est talis; manè, meridiè, & vesperi æger supinus jaceat, & imponat in oculum læsum 3. 4. aut 5. guttas hujus aquæ, & deinde eadem aqua totus oculus lavetur, & ita per quadrantem horæ jaceat supinus, lintecolum illâ aquâ imbutum ipsi oculo imponat: repetatur per aliquot dies, donec ma.

malum esset. Excellentior multò evadet hæc aqua, si in ea grumos, aut partes crassiores Theriæ stylo ferreo transfixos accensosq; in cereo, extinxis aliquoties, circiter quinques.

§. VI.

Antimonium absque vomitu, deorsum tantùm purgans.

QUod si quis desideret, ut vitrum Antimonij, vel Crocus Metallorum supra descriptus, non per vomitum, sed per interiora duntaxat purget, is vitrum Antimonij, aut Crocum Metallorum cum salis quantitate pari aut dupla terat simul: diu, deinde superaffundatur huic mixturæ aqua communis tantùm, ut superemineat ad duos aut tres digitos, sinatq; ita stare aliquot dies, singulis diebus bis ter vè movendo: deinde aquam effundat, & affusa aliâ salem utcumq; eluat: Antimonij pulverem in fundo residentem servet in usum, ut superiùs dictum est. Similiter vim vomitoriam auferes Antimonio, si illud sive vitrum, sive Crocum Metallorum misceas cum spiritu Vitrioli, aut Sulphuris, aut salis, ac deinde pulverem exsiccatum iterum misceas, idq; repetas ter quaterve. Hi pulveres ita correcti possunt etiam dari in substantia, id est, non macerando in vino: nempe si sit vitrum Antimonij correctum datur Pondus trium, quatuor, aut quinque granorum hordei: si verò Crocus Metallorum fuerit correctus, datur pondus 7. 8. vel 9. vel 10. (plus minùs) granorum: in conserva Rosarum, vel cochleari, jusculi, aut vini: vel in hostia madefacta: reliqua conservanda ut priùs. Varios alios modos tollendi vim vomitoriam Antimonio brevitatè studio omitto.

§. VII.

Antimonium Diaphoreticum, sive Sudoriferum.

POTest et Antimonio tolli omnis facultas tam vomitiva quàm purgativa, ita ut solummodò sudorem moveat: cujus usus etiam in morbis gravissimis est multiplex, & saluberrimus. Hujus præparatio simplex facilis & secunda præ alijs multis ita se habet. Recipe Antimonij

monij crudi libram mediam, Salisnitri albi libras tres & mediam: i rita prius sigillatim singula, misce; deinde partes paulatim (ut supra dictum est in præparatione Croci Metallorum) injiciantur in ollulam candentem, & postquam tota mixtura injecta, & inflammata fuerit per partes, & ut vocant, detonuerit, sinantur omnia simul stare supra carbones accensos per mediam circiter horam, donec omnia optimè liquefiant, quæ deinde sensim in aquam calidam effundantur: massaque subsidens in aqua, eximatur, & trita sæpè affusâ aquâ aliâ calidâ eluatur Salnitrum adhærens tam diu, donec tandem affusa aqua nihil ampliùs falsedinis gustatu referat: prout superiùs dictum est in Croci Metallorum præparatione. Optimum foret si cacabus cui inest aqua calida, in quam effundi debet Antimonium, primitus cum Salnitro liquatum, tectus fuerit asere, relicto in medio foramine non magno per quod infundenda mixtura liquata, ne aqua præ nimio fervore exsiliat in faciem.

Hoc Antimonium, quod post ternas aut quaternas ablutiones, iuxta dicta evadit in pulverem candidissimum, vocatur Diaphoreticum, sive Sudoriferum: quod solum per sudorem movet. Vehementer conducit contra putredinem: sanguinem mundificat; prodest contra omnes obstructions internas, quamvis inveteratas, ut Hepatis, Splenis, Mesenterij, aliarumque partium internarum. Plurimum etiam opitulatur contra Hydropem, melancholicam Hypochondriacam, Ulcera tam interna quam externa, Scabiem; præsertim confert & in febribus malignis, Petechijs, Peste, Variolis; rumpit interna Aposthemata: verum non subitò, sed paulatim operationes suas exercit: quare aliquamdiu usus ejus continuandus.

*pro mente
enistat con
tituto av 15*
Dosis ejus pro puero sex aut octo granorum; pro mediæ ætatis 10. usque ad 15. aut 18. granorum hordei pondus. datur, vel in jusculo, vel vino, vel electuario, vel in hostia madefacta. Potest uno die bis exhiberi, mane & vesperi ante cœnam duabus horis; imò in Hydrope quovis die etiam tertio. Post assumptam hanc medicinam provocandus, quoad fieri potest, sudor in lecto. Atque hæc pauca ex infinitis alijs medicinis, quæ ex Antimonio præparari possunt, sufficiant in usum & solatium pauperum, quorum omnium præparatio tam est facilis & secuta, ut ne peritissimus etiam Coquus tam facile & securè jusculum quodcumque vilissimum præparaverit. Qui admirandos Antimonij effectus fusiùs scire desiderat, legat præter supra citatos &

& innumeros alios, Centurias curat: Empiricarum Martini Rulandi, quas omnes Medicorum Scholæ, usq; in hanc diem cum stupore admirantur.

Legat & experientissimi Petri Ioannis Fabri, Doct. Med. Monspeliensis insignes curationes var: morb: Cujus verbis in Myrothecio Spagyrico Lib. 3. Cap. 15. positus finis: *Multa alia possunt dici de Antimonio, sed ea tanta sunt, quanta nemo mortalium excogitare potest: est enim flos terra, & Metallorum semen in eo.*

MANTISSA,

De præparatione & Vsu Salisnitri contra ardores febriles, aliisque calentes affectus.

Vsus Salisnitri contra varias ægri tudines.

Quia Salisnitri usus & facillimus & præstantissimus est, contra plurimas humani corporis infirmitates, visum, & illum hic adjungere in gratiam eorum, qui preciosioribus destituti medicinis, & à Pharmacopæis longè remoti aliundè adiuvari non possunt.

Salnitrum imprimis sequenti modo facile præparatur. Recipe Salnitri communis albi prout ab illis, qui illud fodiunt bis tere excoctum est, quantum placet, v.g. libram unam: tere: deinde liqua in ollula, vel crucibulo aurifabrorum triangulari, cumq; liquatum bullis spumatq;, iniice aliquantum Sulphuris pulverisati, sine ita coquantur, donec cerulea Sulphuris flamma evanescat: Tum iterum aliam Sulphuris partem iniice ut prius, idq; toties itera donec duodecimam partem Sulphuris respectu Salisnitri consumpseris: i. e. si eliquasti 12. uncias Salisnitri, tum in universum sit una uncia Sulphuris, cuius per vices aliquid iniiciendum. Depuratum hac ratione Salnitrum adhuc liquidum effunde in vas testaceum, vel aneum, & serva in usum.

Invenitur hoc Salnitrum in omnibus benè institutis
Pharmacopæis præparatum.

• 1. Valet contra ardentissimos calores internos tam in Peste, quàm in quacumq;

eūq; Febrī; calida aut maligna. Recipe hujus Salnitri unciam unam, con-
tere, & misce cum una mensura aqua fontana, ut dissolvatur. Ex hac aqua
potest dari infirmo sitienti toties quoties, & tantum quantum illi placeat; pra-
stat dare haustus majores, quā minores. Est saporis non ingrati. Si tamen
gratiorem haustum desideras, poteris addere parum Iulapij rosarum, aut vio-
larum, vel sacchari communis: item de succo, aut cortice Citri. Loco

aqua fontana potest accipi aqua cocta aliqua, vel cum pane tosto temperata;
vel aliqua aqua distillata, ut Cardui benedicti. &c. Valet hac aqua singula-
riter contra lingua inflammationes, quae ex magnis aestibus febrilibus contin-
gere solent, ita ut lingua etiam tota areseat, & nigra evadat instar carbonis,
fissurisq; multis rumpatur cutis: quem morbum prunum appellant; unde, &
Salnitri illud preparatum Sal prunelle dicitur. Contra hoc malum juvet
infirmo dare etiam ipsum pulverem Salisnitri preparati ad pondus medii, vel
integri Drachmae, sive medij, vel integri aures: addito, si placeat, pauxillo
sacchari, in cochleari aqua communis, vel jusculi: idq; singulis diebus bis,
manē & vespere; ac deinde pro sitis exigentia bibatur aqua supra dicta ex eo
preparata. Hac ipsa possunt exhiberi in quacūq; Febris maligna, etiam cum
cum ob nimium morbi incrementum infirmus non est amplius aptus ad sumen-
da Medicamenta purgantia, aut sudorifera. Hac solariatione olim virum 40.
annorum pro Febris maligna vehementia totum mentis impotem, absq; ulla
alia Medicina ita confestim restitui, Divina opitulante gratia, ut intra bi-
duum & à delirijs, & à Febrī liber in publicum sanus prodierit.

Conducit & Salnitrum illud preparatum, sive per se in pulvere, sive in
aqua dissolutum contra pleuritidem, h. e. laterum puncturas cum interno
Apostemate: contra Peripneumoniam, id est, inflammationem Pulmonis cum
Apostemate ibidem, ac difficultate spirandi, & tussi: contra calculum ve-
num & vesicae: contra obstructiones Hepatis, & meseraei.

NB. ^his qui alvum habent fluidam, abstinendum ab usu Salisnitri.

Contra anginam, & faucium inflammationem saluberrimè cum praedicta
aqua gargarizatur. Eadem etiam aqua tela imbuta, applicata membro ad-
usto omnem ardorem extrahit. & persanat membrum.

Quod si supra dicto modo preparatum Salnitrum non habeas, (quamvis
q;us

*Preparatio tam facilis sit, ut etiam puer aliquis eam perficere possit)
Sume Salnitrum vulgare album, prout ab ijs, qui illud effodiunt
semel atq; iterum excolitum est: & uere juxta modos
superius praescriptos.*

His bene vale, & DEVM
pro me ora. •



Dusseldorpii imprimebat Fridericus Casparus Beyer
Serenif. Electoral. Princ. Aulæ. Typographus, 1697.

